



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Opera Mystica V. Ac Mystici Doctoris F. Ioannis A Crvce
Primi Religiosi Discalceati Ordinis B. V. M. De Monte
Carmelo Et Seraphicæ Virginis Theresiæ fidelissimi
coadiutoris**

Juan <de la Cruz>

Coloniæ Agrippinæ, 1639

§. IV. Primus in Reformatione calceos deposuit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37873

Primus in Reformatione calceos deposuit.

Hoc pacto voluit Deus insignem hunc virum ex polite in lapidem fundamenta-
 lo. Appaliteo tempore B. Virgo Theresia de Iesu Metynam campi, eadem quæ Ioan-
 nes (qui tum forte Metynam venerat) versans animo. Cumque B. Virgo magna de
 illo inaudisset (vr ipsamet fatetur) petijt & obtinuit à Deo hunc sibi donari in ante-
 signanum Discalceatorum. Conuenit ergo virum B. Mater, alloquitur, cumque operi
 maxime idoneum reperisset, ad expeditionem induxit, persuasitque vr desiderium
 quod conceperat Cathusiam ingrediendi, in hoc opus commutaret. fundationi ergo
 quaesita est domus, eaque inuenta, nec non impetrata, eorum quorum intererat, facul-
 tate, operi sese accinxit feruentissimus Pater. Est in Abulensi tractu, vix quattuor aut
 sex adium viculus, Duruelum vocant, vere iuxta nominis sui etymon durus, cum
 ob aëris inclementiam, tum ob omnium quæ ad corporis oblectamenta aut commo-
 ditates spectant, insignem inopiam. Hic à loci Domino in nouam fundationem tu-
 guriū obtinuit verius quam domū, cuius machina nil præter exiguum porticum,
 vnicū cubiculum eundemque paruum, granarium, & culinulam complectebatur.
 Hanc ediculam in formam monasterij ita disposuit: Porticum in capellam, gra-
 narium in chorum, cubiculum in dormitorium conuertit & adaptauit, diuisa culinula
 trichinij & culinæ loco fuit. Hac mole constitit prima reforescentis Carmeli structu-
 ra, his initijs de fructu manuum Venerabilis Nostri Ioannis, præeunte Virgine The-
 resia, plantata est vinea, quæ breui per Hispaniam vniuersam, Italiam, Galliam, Bel-
 gium, Germaniam, Poloniam, Persidem, vtramque Indiam, suos palmites esset diffu-
 sura. Hic tandem Ioannes rudi & angusto habitu indutus quem B. Virgo Theresia
 proprijs manibus consuebat, abiectisque calceis primum Carmelitam Exal-
 ceatum mundo exhibuit. Adfuit paulo post eiusdem propositi socius Pater Frater
 Antonius de Iesu, vir similiter sanctitate conspicuus, qui Ioannis inductus exemplo a-
 sperum hoc vitæ genus amplexus est, illudque ambo perpetuo se seruaturus reiecta
 omni mitigatione polliciti sunt. Ioannes vero hoc loco nactus opportunam occasio-
 nem feruori spiritus habenas laxauit, tantoque impetu abripiebatur, vr nullos ora-
 tionis, austeritatis, & penitentiaë limites præfigeret, sed ad omne heroicarum virtutum
 exercitium infra cto animo conuiteretur. Victus illi tenuis, nec nisi ieiunio conditus,
 protracta vigilia, macerationes corporis continuæ, cellula adeo angusta ac demissa
 vr vix genosulum admitteret, tam male facta vr per imbrices non modo lux subintra-
 ret, sed etiam pluuia, pruinæ, niues, quæ orantem non semel contexerunt; lectus dura
 humus, ceruical lapis, ac tum præclare sibi indulgisse videbatur, si quando mo-
 dicum fenum corpusculo substerneret, tota vero suppellex, crux, & cra-
 nium humanum, hanc vero spiritus paupertatem omnimodamque nudi-
 tatem non solum Durueli exacte seruauit, aliosque suo exemplo ad seruandum
 induxit, sed Pastranzæ quoque, Mancera, Compluti, hanc nouellam plantam eodem

†††† 2

spiritu

B.
Ioannis
à CruceOpera
Mystica

NVI

124

spiritu imbuit ac fundavit, unde postea tamquam è fecundissimis seminarijs alia plurima eiusdem instituti germina pullularunt.

§. V.

Mirabilia Abule operatur.

Non viris dumtaxat, sed etiam ordinis sui virginibus Ioannes præluxit. illas quæ primitivam regulam profitebantur, ad contemplationis apicem direxit, adeo efficaciter, ut etiamnum fructus in ipsis perseveret. alias, quæ sub mitigatiore vivebant, intra vocationis suæ limites ad orationis & reformationis spiritum verbo & exemplo pertraxit. fidem faciet Cœnobium Abulense ab Incarnatione nuncupatum, ubi cum munere Confessarij suavis B. M. Theresiæ fungeretur, monialibus talem animarum profectum attulit, qualem in hunc usque diem, non absque præceptoris sui grata memoria, experiuntur. Hic in morbum incidit monialis Maria de Hiera, qui præter spem & opinionem ingrauescens necdum Ecclesiæ Sacramentis munitam repente abstulit; accitus Venerabilis Pater inopinato euentu percussus occurrit ad monasterium, & defunctam intritus coram Venerabili Sacramento orationi insitit, deinde lætissimo applausu accurrere moniales nuntiantes illius precibus defunctam vitam restitutam. Illud quoque dignum admiratione quod testibus oculatis constat: Cum Venerabilis Pater cum B. Virgine Theresia quadam vice altissimos & pro more suo feruentissimos de Sanctissimæ Trinitatis mysterio sermones misceret, adeo utriusque animus diuino igne incaluit, ut Sancta Mater rapta in extasim: ipse vero non solum in extasim, sed etiam in ætæ una cum sede tamquam alter Elias raptus fuerit. Plura alia admiranda, & Ioannis sanctitatem testantia, Abulæ acciderunt: pauca è multis delibabimus. Puella nobilis & vulgi opinione spiritualis, libidinoso animo Ioannem aggreditur solum & sine teste agentem; at vir castissimus carnalem hunc amorem in diuinum mutavit, eamque cordè compunctam & facti penitentem reddidit. Aliam quoque ad meliorem frugem reduxit, quæ post sacrilegam voti, quo Deo sacrata erat, violationem, notoria turpitudine toti civitati scandalum præbebat: cuius facti hanc retulit mercedem, ut à sacrilego complice fastibus egregie fuerit exceptus, tanta cum animi, non solum patientia, sed etiam gaudio, ut lepide interdum diceret, non minus sibi dulces fuisse baculos, quam Beato Stephano lapides. Quod sequitur plane singulare est. Monialis alterius Ordinis à teneris annis Dæmoni sese tradiderat, scripamque proprio sanguine consignauerat schedulam: ex pacto inire mira patrabat, ita ut viris doctis non paucis imponeret. Agonia Venerabilis Pater immundum spiritum, ex ritu Ecclesiæ adiuravit, vicit, expulit, & tamquam alter Basilius memoratam schedulam reddere cœgit, qua igne combusta, & pacatione rescissa, monialem liberavit, atque in statam reduxit meliorem.

(†)

§. VI.